DISPVTATIO

DE

IVRE PRAEDIATORIO

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAESIDE

IO. AVGVSTO BACHIO

IVR. VTR. DOCTORE ET ANTIQ. IVR. PROF. PVBL

AD DISCEPTANDVM PVBLICE

D. XI. APRIL. cIↄ Iↄ CCLII

PROPOSITA

AB

~~AVCTORE~~


CHRISTIANO GOTTLOB HEYNIO

CHEMNICENSI



LIPSIAE

EX OFFICINA STOPFELIA





Cum de iure praediatorio nonnihil commentari susceperim, facile praeuideo, fore, vt in quorundam hominum reprehensionem incurram, qui me rem vanam et inutilem agere existiment, cum eiusmodi argumentum tractandum sumserim, cuius nullus in nostris negotiis vsus, nulla vtilitas sit, nulla nisi in antiquis libris memoria. Quibus hominibus vti hic locus non est diligenti et copiosa oratione respondendi: ita hoc vnum sufficiat dicere, in his exercitationibus Academicis hoc potissimum spectari, vt ingenii nostri, diligentiae et in liberalioribus litteris profectum specimen aliquod publice proponamus; quod cum in rebus, quae ipsis leues et tenues videntur, vel maxime fieri possit, non sane reprehendi debet, si quis adolescens eiusmodi sibi argumentum deligat. Erunt alii, qui me rem actam agere dicant; cum eiusmodi caussam agam, quae ab Iuuene magni ingenii doctrinaeque, THEODORO GEORG. GRAEVIO, satis iam perorata sit, et in eo ipso aliquam in me arrogantiam incusent. Sed ne vulgare illud dicam:

Nullum esse iam dictum, quod non dictum sit prius,

et me

Habere bonorum exemplum: quo exemplo mihi
Licere id facere, quod illi fecerunt, putem;

an, vt in omnibus reliquis litteris, ita vero in his praecipue, vnus vnquam aliquis omnia tam diligenter exposuit, vt nihil aliis, quamuis leue, monendum restaret? Ille vero et adolescens fuit, doctus quidem et liberaliter institutus, sed tamen adolescens; et temporum denique Rom. reip. sub Impp. vnice rationem habuit, cum tamen huius iuris tum natales et ortus tum progressus et incrementa ad liberam remp. referri debeant. Existimaui itaque me inuenisse, quae dicere possem; neque tamen esse, vt vel GRAEVII, vel aliorum scripta, ope indicum, vt fere fit, exscriberem et compilarem; quae si intelligentibus probauero, id, quod spectassem, mihi assequutus esse videbor:

Si enim quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, - -
In his hic auctor nomen profitetur suum.

§. I.

Propositi ratio.

Cum igitur omnis, quae suscipitur aliqua de re scriptio, ratione et ordine instituenda sit; ne incerta vagetur haec disputatio, eam quoque quibusdam finibus coërcere et circumscribere, par esse videtur. Adhibebitur autem a nobis haec ratio, vt Iuris praediatorii naturam et fines primum describamus; deinde, quae ei res, tanquam materia, in qua versaretur, subiectae fuerint, quae potissimum res eo comprehensae, subiiciamus. In quo cum nobis obseruatum sit, a Viris doctis quaedam in hac re propterea minus recte dicta esse, quod ea, quae libera rep. vigerent, non distinguerent satis accurate ab his, quae sublata libertate in remp. inducta essent: nos id potissimum cauebimus, vt diuersa tempora diligenter discernamus, et vtrique reip. sua iura et mores reddamus.

§. II.

§. II.

Iuris praediatorii descriptio.

Iuris praediatorii cum nulla nobis descriptio a veteribus siue ICtis siue Grammaticis suppeditetur, ea autem necessario constituenda sit, vt Dialectici praecipiunt, si quis aliquam sibi rem tractandam sumat: in eo elaborandum nobis videtur, vt eius rationem ex auctorum locis exemplisque diligenter consideratis colligamus. In quo tamen illud minus commode cadit, quod pauca reperiuntur loca veterum huiusmodi, in quibus huius Iuris mentio fiat. In hac igitur penuria in consilium vocanda erit vocabuli notatio et formatio, res plerumque admodum incerta illa quidem et periculosa, sed tamen tum aliquantum tuta et firma, si consuetudine loquendi nihil immutatum, sed in etymologiae quasi primordiis perseueratum reperiatur. Et olim quidem valde trepidatum est a Viris doctis in constituenda huius Iuris ratione. Plerique esse crediderunt, quod ad praedia quaecunque pertineret. FR. BALDVINO *a*) quidem Ius praediatorium fuisse videtur de conditionibus et seruitutibus praediorum, de aquaeductibus, de limitibus et eius generis aliis quaestionibus: et ita accipit in loco CICERONIS *b*): ad quem ABRAMVS significat, se in eadem sententia dicam an errore versari, cum dicit, de Iure praediatorio multos titulos in Cod. Iustin. et in Digestis inueniri, v. c. de aqua quotid. et aest. Sed hi nisi vocabuli ratione refellantur, quae admittere nequit eam significationem, at certe confunduntur loco SVETONII *c*), quem non videntur cogitasse. Qui locus quantum ei rei aduersaretur, senserat haud dubie GOESIVS *d*) qui tamen istam sententiam, cum reiicere ausus non esset, motus, vt videtur, fragmento CAII *), emollire tentauit, cum dicit: edictum illud non tantum pertinuisse ad praedia, quae publico obligata essent, sed ad quaeuis alia. Sed

A 3 eum

a) *de Iurisprud. Muc. p. 15.* *b*) *pro Balbo c. 20.* *c*) *Claud. c. 9.*
d) *ad c. l.* *) *L. 54. de Iur. Dot.*

eum moueri illo loco non debuisse, cum postea apparebit, vbi ostendero, eum solum ad praedia publica spectare: tum iam apparet ex hoc, quod ea ἔξσις ex titulo edicti de praediatoribus sumta inscribitur, hoc est, de his, qui praedia publico obligata emere, non priuata, consueuerant: de quo paullo infra. Rectius Ius praediatorium doctissimi viri dicunt fuisse illud, quod ad praedia publico obligata pertineret *e*). In quo si existimauerunt, nomen a *praediatis*, quorum bona publico obligata, duci oportere, a Grammatica subtilitate recedere videntur. Quid enim? vti *Senatorium* ius a *Senator*, *Accusatorium* ab *accusator*, *Imperatorium* ab *Imperator* ductum est; ita *praediatorium* a *praediator* quo minus ducatur, fieri ne vllo modo potest? non pari ratione ac lege haec iudicabuntur? Ac *Ius Imperatorium* quidem est, quod ad Imperatores pertinet, quo, quid illis facere liceat in vrbe siue obsidenda, siue capta, in induciis faciendis, pacis legibus scribendis, disciplina militari, et suppliciis a milite sumendis, constitutum est. Id quod indicat CICERO *f*): *P. Seruilius quae signa atque ornamenta hostium, vi et virtute capta, belli lege atque Imperatorio Iure sustulit* etc. In quam rem valde facit locus VEGETII *g*): *Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperii: quoniam classicum canitur Imperatore praesente, vel cum in militem capitaliter animaduertitur, quia hoc ex imperialibus legibus fieri necesse est.* Porro *Ius accusatorium* dicitur illud, quod decernit, quid accusatori liceat in accusando: v. c. quod habuit potestatem obsignandi domum rei *h*), tabulas rationum poscendi *i*), litem aestimandi etc. *k*) Denique *Ius Senatorium*, quo definitur munus et potestas Senatorum: siue, vt PLINIVS *l*) describit, *quod con-*

e) SALMAS. *de Modo Vsur. c. 16. p. 739.* GRAEVIVS *in Diss. laud.* Cl. ERNESTI *in Clau. v.* *f*) *Verr. I, 21.* *g*) *II, 27.* *h*) CIC. *Verr. I, 19.* *i*) *ib. c. 23.* *k*) de quibus v. ABRAM. *ad Cic. p. Balbo c. 5.* et insignem locum *p. Flacco c. 6.* *l*) in elegantissima *epist. 14. lib. VIII.*

continet, quae poteſtas referentibus, quod cenſentibus ius, quae vis magiſtratibus, quae ceteris libertas; vbi cedendum, vbi reſiſtendum, quod ſilentii tempus, quis dicendi modus, quae diſtinctio pugnantium ſententiarum, quae executio prioribus aliquid addentium, omnem denique Senatorium morem. Pari ratione etiam *Ius praediatorium*, neceſſe eſt, vt ſit id, quod ad praediatores pertineat, quo que definiatur, quid illis in bonis reip. obligatorum emtis liceat. Iam vero hanc deſcriptionem iuſtam atque idoneam putabimus? Sane: ſi ſolum rationem originum ſiue analogiae ſequendam ducamus. Verum tamen tantum abeſt, vt abſolutam eam atque perfectam exiſtimemus, vt potius nimis anguſta videatur, quam vt capiat id, quod in loco SVETONII m) legitur, *venalis pependit e lege praediatoria.* Nam ſi *lex praediatoria*, e qua bona publico oppignorata vendenda eſſent, eſt Ius praediatorium, vt Doctiſſ. Interpretes docent; in quem eundem modum apud PLINIVM n) *Lex* vocatur, quod principio epiſtolae *Ius Senatorium*; Si igitur haec ita ſunt, dicendum eſt, vſu et conſuetudine illud ius, vt ſit, ſenſim paullatim que a paruis initiis profectum, magis excreuiſſe et latius patuiſſe, complexumque eſſe et alia, quae in vendendis praediis obſeruanda eſſent, ipſamque adeo venditioneu iuſſiſſe. E quo fit, vt videatur totum Ius auctionum publicarum in eo comprehenſum fuiſſe. Neque, tamen exinde conſequens eſt, vt hoc ius potiſſimum de praediatis egerit, multoque minus ab iis nomen duxerit ſuum.

Sed in illo Iure etiam ne de *praedibus praediis que obligandis* ſancitum fuit? Ita quidem Doctiſſ. Viros, v. c. SALMASIVM o) ſentire video; quorum auctoritati cum alias lubenter paream, in hac tamen re cunctanter non facere illud non poſſum. Quamuis enim affirmauerimus Ius illud tempore et vſu tam late circa omnia ad ſe rapuiſſe, et acceſſiſſe ei

m) *Claud.* 9. n) *l. ſup. laud.* §. 19. o) *de M. V. p.* 741.

ei multo plura, quam principio inessent: vt tamen hoc de praedum praediorum que ratione non aeque affirmare audeam, non tam hoc me mouet, quod nulla veterum auctoritate id stabiliri potest; quanquam et illud mouet; sed quia id plane fieri non potuit. Nam primum Ius praediatorium, vt videbimus, pars fuit Iuris priuati; omnis vero vectigalium locandorum ratio Iuris publici. Igitur ea res non ad Praetorem vrb. vt priuatae caussae, pertinuit, sed Censorum curae tradita, vel alii Magistratui extra ordinem demandata fuit; ita tamen vt ex Senatus auctoritate omnia fierent. Publicani quidem remissionem petentes Senatum adibant *p*). Apud LIVIUM *q*) *fraus Publicanorum in naufragiis ementiendis* indicata quidem est M. Attilio Praetori, sed eo, vt de ea re ad Senatum referret. Senatus etiam pecuniam ad locanda sarta tecta constituebat, *r*) ille enim omnino *τῆς εἰσόδου πάσης ἐκράτει, καὶ τῆς ἐξόδου παραπλησίως.* Neque vero ius aliquod de praedibus praediisque condi poterat, quod perpetuum esset: res enim inconstans et incerta plane, cum, praedes an locupletes sint, non nisi ex amplitudine rei locandae aestimari possit. Illud autem, praedes locupletes praediaque bona esse exigenda, certum est illud quidem; sed, cum e natura cautionis facile intelligatur, non multa praecepta desiderat. Reliqua, qui locupletes praedes, quae bona sint praedia, semper cognitione aliqua indigent. Haec autem Censorum fuit. Quorum omnino regnum erat in vectigalibus. Ipse LIVIUS *s*) quo loco eos primum creatos refert, *vectigalia pop. Rom. sub eorum nutu atque arbitrio esse* ait. Quid? quod eorum tanta erat auctoritas, vt, qua vellent mercede, locare possent *t*). Censores igitur, vt satis constat, cum locandum quid esset, tabulam publice proponebant, in qua ipsum vectigal, quale quantumque esset, quod in tempus, quibus conditionibus locaretur,

p) *v.* SVET. *Caes. c.* 20. CIC. *ad Attic. I.* 18. *q*) *lib. XXV,* 3. *r*) POLYB. *VI,* 11.
s) *IV,* 8. *t*) *v.* BVRMANN. *de Vectig. c.* 8.

tur, ſcriptum erat. Neque dubium eſt, in iis etiam hanc legem additam fuiſſe, qui praedes, quae praedia exigerentur. Vbi vero ipſa locatio fiebat, Cenſor cognoſcebat, ſi iis praedibus vel praediis, quae nominabantur, ſatis cautum reipublicae videretur eſſe. Igitur praedum praediorumque conditio ex lege locationum ſpectabatur, eratque iuris publici, neque adeo Iure praediatorio contineri potuit.

§. III.

Vtrum Ius praediatorium fuerit. Iuris publici an priuati

Iam nobis Ius praediatorium paullo diligentius et preſſius explicandum venit: ſi ante quaeſtiones aliquas conſtituerimus, vt nobis ad illam rem via ſit facilior. Primum itaque hoc quaeritur: Ius praediatorium fuerit ne pars iuris publici an priuati. Dubitationem facit, quod in re verſatur, in qua ſumma reſp. ſita eſt. Nam iubet praedia, populo obligata, vendi, et inde ei, quod debetur ſolui. Sed vt priuati eſſe affirmem, me mouet tum ipſa res, tum locus CAII, qui in Dig. legitur L. 54. D. de Iure Dot. inſcripta eſt: *Caius ad Edictum Praetoris vrb. titulo de praediatoribus.* Eſt igitur Ius praediatorium hoc ipſum caput Edicti honorarii, adeoque Iuris priuati. Porro emtio bonorum reip. obligatorum erat haud dubie ſucceſſio, quae fieret per vniuerſitatem, ita vt ſectio, quae inter modos ius alterius vniuerſum transferendi a IVSTINIANO ponitur *u*) Ceterum cauſſae ad aerarium pertinentes haud dubie priuato Iure vtebantur, cum aerarium in ius priuatorum ſuccederet, quemadmodum VLPIANVS *ad Edictum de fiſco x*) demonſtrat. E quo fiebat, vt etiam fiſcus ſ. aerarium ſuccedens creditoribus ſolueret, tantumque retineret, quantum aeri alieno ſuperfuiſſet *y*).

§. IV.

Ius praediatorium quando et quomodo in remp. Rom. inductum fuerit

Altera quaeſtio eſt: Ius praediatorium quando in remp. et quomodo inductum ſit. Atque illud quidem dubitari nequit,

u) §. vn. I. de ſucceſſ. Subl. *x*) in L. 6. D. de Iure Fiſci. *y*) L. 11. D. de Iure Fiſc. cf. L. 17. D. eod.

quit, non ante istud Ius viguisse, quam publica conduci coepta essent. (Nam vt multae nomine praedes darentur, id non ex antiquissima rep. in qua multa suprema et minima, illa duabus ouibus et bobus triginta, haec oue, irrogabatur, vt constat loco nobilissimo GELLII z)) Tum igitur, quum vectigalia conduci coepta essent, et praedia publico obligari coeperunt, adeoque et obligata vendi, si reip. quod debebatur, solutum non esset. Vectigalium autem nonnulla, certe portorium, iam sub Regibus instituta esse BVRMANNVS a) docuit, eaque locata esse a primis inde temporibus probabile est. De Sabinarum vectigali, fere est, vt ita existimem e loco LIVII b) *Salis quoque vendendi arbitrium, quia immenso pretio venibat, in publicum omne sumtum, ademptum priuatis.* Sequor enim lectionem Gronouii et cum eo vltima verba ita explico: non ad hastam locauerunt sociis, sed ad se receptum Patres actoribus publicis mandauerunt. Hoc autem vectigal haud dubie iam ab Anco conditum, qui salinas circa Ostiam fecerat. c) Deinceps cum Rom. resp. cresceret, adeoque vectigalia vehementer aucta essent, magnaque pars ciuium iis conducendis operam daret, adeo vt POLYBIVS d) dicat: σχεδὸν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας ἐνδεδέσθαι ταῖς ὠναῖς καὶ ταῖς ἐργασίαις ταῖς ἐκ τούτων, Iuris vtique praediatorii frequentem vsum fuisse necesse est. Hoc vero, legibus ne certis quibusdam illud ius constiterit, an moribus et vsu in remp. venerit, paullo difficilius est ad constituendum. Memoratur quidem in loco notissimo *Suetonii lex praediatoria*, sed inde, vt leges scriptae de eo genere fuisse videantur, non efficitur; nam lex est hic idem Ius praediatorium, ut iam ante obseruauimus. Moribus itaque et vsu in rem publ. venit, in eum fere modum, atque Ius Imperatorium, Senatorium, alia: Pleraque etiam ex communi iure inprimis edictis Praetorum, traducta. Nam illud, quid praediatori liceret in praediis emtis, sumi potuit ex eo iure quod

z) *Lib. XI. c. 1. v. Impp.* a) *de Vectig. p. 50. p. 94.* b) *III. 9.* c) *Liu. I. 33.* d) *VI. 15.*

quod competeret emtoribus bonorum eius, qui creditoribus non soluisset. *e*) Quod praedia populo obligata vendebantur, mercede, vel pecunia, quae debebatur, non exsoluta, id et reliquo iure fieri debebat, ut pignora et hypothecae distraherentur. Porro quod in locandis vectigalibus praedes et praedia exigerentur, nonne id eis commune fuit cum priuatis negotiis, in quibus etiam praedia oppignorabantur, sponsores et fideiussores dabantur. Cetera arbitrio Censorum permissa, qui tamen superiorum maxime temporum usum sequuti esse videntur. Itaque CICERO *f*) cum loquitur de iure illo προτιμήσεως, in venditionibus vel conductionibus, quod ei competeret, cuius periculo res essent, eam *consuetudinem* vocat. *Vbi illa inquit consuetudo in bonis praedibus praediisque vendendis, omnium Conf. Censorum, Praetorum, Quaestorum denique* etc.

§. V.

Praedes et praedia quid significent.

Iam ingrediendum nobis illud est, quod polliciti eramus, vt explicemus paullo accuratius totam Iuris Praediatorii rationem. Ac primum quidem cum illud praecepisse maxime dixerimus de his, quae praediatoribus in emendis praediis reipubl. oppignoratis licita fuerint, non alienum ducimus, praedum praediorumque obligandorum rationem explicare. De qua cum viri docti multa iam docuerint, nos, quibus aliorum scrinia compilare animus non est, paucis omni disputatione hac defungi poterimus. Vt igitur de praedibus primum dicamus, de Etymologia hujus vocabuli multa a Grammaticis disputata sunt. Quae, si hic referre velimus, veremur otio abuti videamur. Ea monere interest, in quibus ab aliis erratum esse deprehendimus. *Praedem* fere a praestando denominatum, volunt antiqui Grammatici. VARRO *g*) *Sponsor et praes et vas neque iidem neque res, a quibus ii, sed dissimiles. Itaque praes est, qui a magistratu interrogatus, in publicum ut prae-*

e) THEOPH. *III. Inst. Tit.* 13. *f*) *Verr. I,54.* *g*) *de LL. V. p. 59. ed. Steph.*

ſtet: a quo, cum reſpondet dicitur praes. FESTVS *h*) *Manceps dicitur, qui quid a populo emit conducitue, quia manu ſublata ſignificat, ſe auctorem emtionis eſſe, qui idem praes dicitur, quia tam debet praeſtare (populo,* addunt quidam) *quod promiſit, quam is, qui pro eo praes factus,* vbi Viri Docti probante Dacierio, et nuper eruditiſſ. auctore Theſ. L. L. exiſtimant: Feſtum ſcripſiſſe, certe debuiſſe: *quam is, pro quo praes factus eſt.* Quod mihi non probandum videtur. Plane enim adverſatur Grammatici ſententiae, qui hoc vult, *Mancipem* etiam *praedem* dictum, idque iure; *praedem* enim dici a *praeſtando*, *Mancipem* vero non minus rei publ. praeſtare teneri, quod promiſerit, quam qui pro eo fideiuſſerit. Tandem FESTI BREVIATOR *i*) : *Praes eſt is, qui populo ſe obligat, interrogatus a magiſtratu, ſi praes ſit, ille reſpondet: praes.* Iam in loco Varronis obſcurum, quid ſit, *in publicum;* et iungi debeant *interrogatus in publicum,* an: *praeſtare in publicum.* SCALIGER *ad Feſtum* ita legit: *interrogatus in publicum an praeseſt* h. praeſens eſſet. Quod fere ſequitur DACIERIVS et GRAEVIVS. *l*) Sed recte reprehenſum a SALMAS. *m*) qui vel voc. *fidem* inſerendam putat, vel quia Varro a breuiatore Feſti exſcriptus videatur, legendum ex eo, *interrogatus in publicum ut praes ſiet* h. an idoneus, locuples ſit. Dici enim praes quaſi *prae aes* ut *aſſiduus* ab *aſſe dando*, et inde etiam eſſe voc. *praeditus.* Quae notatio, qua uterque ſane Grammaticus iuuatur, etiam Graeuio placuit; quod miror. Non enim Scaligeri et Salmaſii ſententias inter ſe diſſidentes ſimul amplecti poterat. Mihi quidem in Varronis et Feſti locis plane contraria Salmaſianae rationi via ineunda videtur. Varro recte ſe habet. Voluit ille et Etymologiam et τὸ σημαινόμενον, vt loquitur libro IV. pr. oſtendere: vnde dixerat: *neque iidem, neque res, a quibus ii.* Vi et ſignificatione igitur praedem intelligi eum, qui a magiſtratu interrogetur, in publicum vt praeſtet, h. ut caueat;

h) *in Manceps.* *i*) *voc. Praes.* *k*) *voc. Praes.* *l*) *Diſſ. laud.* *m*) *de M. V. p* 715.

caueat; vt *praestare* dici haud dubie potest. Non enim *fidem* inserere licet, vt placebat Salmasio, quod esset longe alienum. Fidem praestat praes, si aliquando, mancipe non soluente, soluit. Neque vero pro *vt* legendum *an,* quia non magistratus verba sequuntur, sed res ponitur, quae a praede exigitur, tanquam praede. *In publicum,* est publice, vel publico h. aerario reipubl. dictum ad eum modum vt, *redigere in publicum.* Verba itaque commode explicari possunt: neque Salmasii emendatione indigemus, quae neque loco satis accommodata est. Primum enim illud *in publicum,* non est facile, quo referas. Nec enim *in publicum locupletem esse,* nec, *in publicum interrogari,* bonum sensum habet. Explicata vt dixi, vi vocis, addit iam Varro ἐτυμολογίαν, *a quo et cum respondet dicitur praes.* Quorsum vero in Salmasiana lectione, *et cum respondet?* A praes h. locuples, sponsor diceretur praes, etiamsi non interrogatus esset et respondisset. Itaque vulgata lectio recte se habet *A quo* h. ab eo, quod praestet ex magistratus voluntate. Pro, *dicitur praes* IOS. SCALIGER *n*) in excusis esse monet: *dicit praes* et ita legendum esse, videri enim dictum *praes* pro *praesto.* Sed eam vocem hoc significare non posse SALMAS. *o*) fuse docuit. Quod vero ad Paullum Festi breuiatorem attinet, ille aut corruptus est, et scripsit fortasse: *interrogatusque a magistratu, vt praestet, si respondeat, dicitur praes,* aut siue Varronem siue Festum male truncauit. Hunc enim praedem etiam a praestando duxisse, ex altero illo loco voc. *Manceps,* qui est Festi, apparet. Praedem autem proprie ipsum Mancipem quippe εὔχαλκον, locupletem dictum fuisse, ex laudato Festi loco obseruant SALMAS. *p*) GRAEV. *q*). In quo mireris licet inconstantiam vsus loquendi, qui cum illud nomen cum fideiussoribus primum communicasset, postea his proprium esse voluit, mancipibus autem plane abrogauit. Praedes vero non quicunque in causa publica a Magistratu, sed idonei et locupletes probabantur h. quibus reipubl. satis cautum esset, si Manceps

n) in Coniect. ad Varr. p. 89. *o*) de M. V. ll. *p*) de M. V. p. 693. *q*) ll.

soluere non posset: quorum praedum etsi obligata quoque reipubl. praedia erant, vti Mancupum, tamen vt videtur, non tam praedia aliqua certa designabantur, vti de illis modo videbimus, quam omnino bonis suis cauebant, se Mancupum vicem suscepturos esse. Nam emtor non solum aliorum sponsionibus verum et suis ipsius bonis, suis praediis cauere debebat. *Praedia* vero sunt possessiones, quae publico obligantur seu oppignorantur, a praedibus dicta, vnde postea omnes κλήσεις ἔγγειοι hoc nomine appellatae *r*) *praedia dicta item vt praedes a praestando, quod ea pignori data publice mancupes fidem praestent.* Vbi BVRMANNVS *s*) vel legendum existimat, quod iam ANT. AVGVSTINVS coniecerat, *quod eo pignore dato* vel potius cum VERRANIO: *quod ea pignori data mancipibus fidem praestent.* HOTOMANNVM vero *t*) ita legere video, *quod ea pignori data publica, ni mancupes fidem praestent.* Sed iam commodius ante Burmannum verba constituerat SALMASIVS *u*) qui haec verba ita laudat: *quod per ea pignori data, publici mancupes fidem praestent,* in quo tamen *publici* non praeferam vulgatae. Praedia visa erant maiorem securitatem reipubl. afferre, quam res mobiles, quod fuse persequitur SALMASIVS *x*) vnde etiam in INSCRIPT. a SALMAS. *y*) laudata, dicuntur ἀσφαλεῖς ὑποθῆκαι. Neque vero quaeuis praedia probabantur, sed quae ad cauendum essent idonea: quae de more dicebantur *bona praedia z*). Praediorum itaque conditio haud dubie diligenter inquirebatur, forte etiam iusiurandum a Mancupe interponebatur de eius bonitate. Sed an et illud spectabatur, vt praedia libera essent, h. nemini alii iam opposita? Si quis plura haberet, inde eligebantur quae obliganda essent: quod colligas ex INSCRIPT. NEAP. apud GRVTERVM *a*) iam a SALMASIO *b*) et HOTOMANNO *c*) laudata,

r) SALMAS. *de M. V. p.* 732. VARRO *L. IV. p.* 11. *s*) *de Vectig. c. IX. p.* 135.
t) *ad* CIC. *Verr. I,* 54. *u*) *de M. V. p.* 735. *x*) *M. V. c.* 12 *sq.* *y*) *L. I. p.* 94.
z) *v.* CIC. *Verr. I,* 54. et ASCON. *a*) *p.* CCVII. *b*) *de M. V. p.* 728.
c) *ad* CIC. *Verr. I p.* 208.

data, in qua: *qui redemerit, praedes dato, praediaque subsignato Duumuirum arbitratu.* (vti GELLIVS *d*) *Scipio Asiaticus - - collegae arbitratu praedes dabit*) *Subsignare praedia* SALMASIVS *e*) explicat supponere vel hypothecae dare. Sed nihil impedit quo minus ex vulgari vsu accipiatur, vt praedia, quae obligata esse vellent, designanda essent, et nomen subscribendum. Quod etiam magis conuenit vltimis legis verbis: *pecuniae dimidia pars dabitur, vbi praedia satis subsignata erunt*; quid enim hoc esset: vbi praedia satis opposita erunt? Cauebatur vero reip. vt vidimus, interdum vtrisque simul et praedibus et praediis, vnde apud CICERONEM *f*): *praedibus et praediis populo cautum est.* Sed quomodo ista cautio interposita sit, quaeres. Mihi videntur tabulae siue a Magistratu siue a Quaestore factae, inque iis et omnis locatio et eius conditiones scriptae et inter alia et praediorum praedumque nomina, ab ipsis vero mancipibus et praedibus subscripta esse; hoc certe patet ex laudata INSCRIPT. NEAP.

§. VI.

Praedes dati in caussa priuata.

Iam praedibus praediisque quibus in caussis locus fuerit, inquirendum. Et primum quidem hoc reperimus, interdum vtrumque, interdum alterum tantum fuisse exactum. Ac praedes quidem potissimum in caussis publicis datos fuisse, et Grammatici veteres et exempla satis docent. Grammaticorum quidem veterum testimonia iam supra commemorauimus. Exempla autem in sequentibus proferentur. Est tamen etiam, vbi a priuatis hominibus priuatis de caussis praedes datos reperiamus. Nam in lite vindiciarum quidem pro praede satisdatum esse, e CICERONE *g*) constat. E quo existimari potest, praedes in omni caussa pecuniaria vel priuata locum habuisse illos quidem olim, id quod etiam AVSONIVS in Monosyllabis tradit notissimo versu:

Quis, cum lis fuerit numaria? quis dabitur? Praes.

Sed

d) VII, 19. *e*) l. l. *f*) Verr. I, 54. *g*) Verr. I, 45. vid. ASCON. ad c. l.

Sed ſenſim paullatimque vſum hac in re ita inualuiſſe, vt *praedes* tantum in cauſſis publicae pecuniae, excepta vna lite vindiciarum, exigerentur acciperenturque. Quod fere idem euenit circa *vades.* Nam vas haud dubie olim in omnibus iudiciis etiam priuatis datus fuit, qui iudicium ſiſti promitteret: deinde vero potiſſimum in iudiciis capitis remanſit, raroque in priuatis cauſſis memoratur. Ex quo illa, quae inter SALMASIVM *h*) et GRONOVIVM patrem *i*), de vadibus interceſſit diſſenſio diſputatioque, facili negotio componi poteſt *k*).

§. VII.

Praedes dati in cauſſis publicis multae nomine.

Et hi quidem dati praedes in cauſa priuata: ceterum fere locus fuit iis in publicis, quod genus multae, et iudicia illa publica in quibus litis aeſtimatio locum haberet. Vti enim reum iudicio ſiſti promittebant *vades* *); ita *praedes* iudicatum ſolui. hoc autem fit in iudiciis quibusdam publicis, in quibus damnatus, quantum iudicatum eſt, ſoluere cogitur, et ea *poena* dicitur: Ab hac vero vehementer differre *multam* e nobili fragmento VLPIANI conſtat *l*), et quidem inter alia in eo, *quod multa ex arbitrio eius venit, qui multam dicit, poena vero non irrogatur, niſi quae quaque lege vel quo alio iure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt: quinimo multa ibi dicitur, vbi ſpecialis poena non eſt impoſita.* Cum igitur multa ad arbitrium accuſantis conſtitueretur, tum ea ſtatim irrogabatur cum dies reo diceretur v. Liu. XXV, 3. et quidem vt videtur in eadem tabula publice propoſita. Cum dies adeſſet, de multa ad populum certabatur, h. e. et accuſator et reus cauſam agebat *m*). Abſoluto reo, etiam multa remiſſa erat. Cui vero irrogata eſſet, is praedes poſcebatur. GELLIVS *n*) *L. Scipioni Caius Minucius Augurinus Trib. Pl. multam irrogauit, eumque ob eam cauſam praedes poſcebat.* Dandi vero illi *Tr. plebis arbitratu,* ib. in Decreto Trib.

h) *de M. V. c. XVI. p. 731 ſqq.* *i*) *Obſſ. III, 13. ad Liu. III, 13.* *k*) v. Cl. ERNESTI *Clau. Cic. voc. Vas.* *) v. LIV. *III, 13* ibique I. F. GRONOV. et *Intt. ad Epit. Libri XLVIII.* SALMAS. *de M. V. p. 693.* *l*) *L 131. D de V. S.* v. GOEDDEVS *Comm. h. l.* *m*) v. *Liu. XXV, 3.* et *XXXVII, 57.* *n*) *N. A. VII, 19.*

Trib. *pl. collegae arbitratu praedes dabit.* In quo decreto, paullo post legitur: *de ea re nostrum sententia omnium data est,* sed vereor, ne legendum sit *lata est,* vt in eodem decreto: *Tribunus pl. sententiam de eo tulerit,* h. pronunciarit. *Sententiam dare* aliud est. Nisi placeat, quod Gronou. in codicibus inuenit: *sententia omnium ea est*; ex quo tamen potius ita lectio constituenda: *sententia omnium ea lata est.* Solet enim in antiquis his formulis pronomen frequentari. Itaque debebat eodem loco ex codicibus recipi: *praedesque eum ob eam rem dare cogat.* Sed *multam dicere* tum aliis ius erat magistratibus, tum inprimis Aedilibus *o*), quanquam hi non praedes poscebant, sed pignora capiebant. Fuit etiam, vt vidimus iam, Tribunis pl. qui ea potestate vsi sunt interdum etiam tum, cum alio iudicio opus erat. Ita M. Acilium Glabrionem accusarunt peculatus, quod pecuniae regiae praedaeque aliquantum captae in Antiochi castris neque in triumpho tulisset, neque in aerarium detulisset, et ei multam dixerunt *p*), vnde etiam, cum quidam auctores, quos GELLIVS *q*) sequitur, iudicium L. Scipionis ita narrent, vt ei multam a Tribb. pl. irrogatam dicant, id tamen non de alio crimine quam peculatus habitum fuisse existimem. Quamquam vero, vt supra dictum est, multae accusantis s. dicentis arbitrio relictae plerumque reperiuntur, non potest tamen hoc loco negari, fuisse etiam quasdam causas, in quibus iam Leges ipsae de iisdem latae multam definierint. Exemplum est in Lege Cornelia tribunicia ap. CIC. *r*). Apud MVRATOR. *s*) est in fragmento Plebisciti: MVLTA ESTO IXI-- EIVSQVE PECVNIAE POPVLI IVDICIO PETERE VEL IN SACRVM IVDICARE LICET. Ceterum videntur omnino causae illae multaticiae ad populum agendae fuisse *t*): quo verba POLYBII pertinent *u*), κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος, καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα (multa) τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα τοὺς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς. Docet id et CICERO *x*): *Cum magistratus iudicassit irrogassitue: per populum multae poenae certatio esto.* Ex lege tamen Cor-

o) LIV. *X, vlt. XXXV, 10.* TAC. *An. XIII, 28.* *p*) LIV. *XXXVII, 57.* *q*) *N. A. VII, 19.* *r*) *Verr. I, 60.* *s*) *Thes. Inscr. T. II. p. DLXXVI. n. 1.* *t*) *v.* LIV. *XXXVII, 57.* *u*) *Hist. VI, 11.* *x*) *de Leg. III, 3.*

Cornelia tribunitia multa petita est apud Praetorem Verrem, cum Tribunus pl. contra eam legem intercessisset *y*). Quod tamen iudicii genus tam molestum visum est, vt saepe actum in senatu dicat Cicero, vt genus hoc totum multarum ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Ceterum facile est ad intelligendum, praedes dari consueuisse, tantum in iis causis, in quibus lis aestimata esset, quale est iudicium repetundarum, residuorum, peculatus etc. Et in hoc quidem peculatus iudicio, praedes datos constat exemplo insigni L. Scipionis Asiatici, quem eo crimine accusatum tradit LIVIVS *z*). Damnati itaque simili iudicio cogebantur restituere eam pecuniam, cuius nomine postulati erant. Litem, vti notum, aestimabant accusatores; damnato reo, iudicatum exigebat quaesitor, et solutum iri, praedes poscebat. Quo facto omnis res ad Quaestorum curam spectabat: multa enim ista in aerarium, cui praeerant, redigebatur. Praedes, quos quisque ad fideiubendum pro se excitauerat, ad eos deducti, horumque nomina in tabulas fuisse publicas notata videntur *a*). Neque tamen eorum etiam hoc fuisse puto, vt iudicarent, praedes an locupletes essent et idonei. Sine dubio id Quaesitor dispiciebat: vti ap. GELLIVM *b*) *Tribuni pleb. arbitratu praedes* dantur: h. vt ab eo tot et eiusmodi exigi possent, donec reipubl. satis cautum videretur. Praedes tum dicuntur *recipere*. ASCONIVS: *Recipitur pecunia, h. promittitur, cum de iudicato respondetur.* ita Graeci ἀναδέχεσθαι *c*). Vbi praedes dati, dies videtur dictus esse, intra quem reus iudicatum solueret: Quod si non faceret, ipsius rei bona vendita et praedis. Qui praedes aut dare nollet, et omnino sententiae non pareret, vt SCIPIO *d*) aut non inueniret, is vbi in vincula ductus esset, eius bona vendebantur, et ex iis quod iudicatum erat, redigebatur. Id Quaestoris curae demandatum *e*). Ita fere miseri bonis exuebantur; vnde si quis euenturum videbat, vt ad luendam aestimationem litis bona omnia sibi eriperentur, solum mutabat exilii causa, cum sibi videret in ea ciuitate locum non esse, in qua omnia vitae

y) CICER. *Verr. I, 60.* *z*) *XXXVIII, 52.* *a*) LIV. *XXXVIII, 58.*
b) *l. c.* *c*) V. SALMAS. *de M. V. p. 721.* *d*) LIV. *l. l.* *e*) LIV. *XXXVIII, 60.*

vitae ornamenta per ſummum dedecus et ignominiam erepta eſſent *f*). Si die dicta non reſponderent; damnabantur, et bona vendebantur: cuius tum alia exempla ſunt, tum CAMILLI *g*), vnde ſaepe iſtis iudiciis damnati ſimpliciter in exilium abiiſſe leguntur, vti in loco DIODORI *h*) Φυγῇ κατεδικάσθη. Hanc iuris Romani partem videntur aſciuiſſe atque ei fundi facti eſſe ſocii. Ita de homine Temnita CICERO *i*). *Nam princeps legationis Lyſanias adeptus eſt ordinem ſenatorium: ſed cum rempubl. nimium amplecteretur, peculatus damnatus et bona et ſenatorium nomen amiſit.*

§. VIII.

Praedia obligata, pecunia ex aerario ſumta.

Litis vindiciarum, multae item, ac rei iudicatae nomine praedes potiſſimum datos vidimus: contra, praedia fere obligata memorantur, pecunia ex aerario mutua ſumta. Cum enim praedia viderentur Romanis tutiſſimum cautionis genus, vti ſupra meminimus dicere, aerario autem vt quam maxime cautum eſſet, ſumma cura adhibenda eſſet: non iniuria praedia potiſſimum ab aerario pecuniam mutuam ſumentibus obliganda erant. Ita cauiſſe ſcimus Claudium ex notiſſimo loco SVETONII, cum pro introitu noui ſacerdotii magnam pecuniam ex aerario mutuam accepiſſet. Eadem de cauſa dati praedes Valeriani in loco illo vexatiſſimo CICERONIS *k*), *ad Voluſium transferri nomen a Valerio non potuiſſe: ſed praedes Valerianos teneri.* GRAEVIVS Valerium in iſtius, Publicani, locum ſucceſſiſſe, et non ſolum vectigal illud conduxiſſe, ſed et reliqua Voluſii ſoluenda in ſe ſuſcepiſſe, et hoc nomine praedibus praediisque cauiſſe, exiſtimat. Ego autem non video, quomodo tum Rufus poſtulare potuiſſet, vt ad Voluſium nomen transferretur. Vir doctiſſ. videtur potius contrarium dicere voluiſſe. Si in re incerta atque obſcura aliquid probabiliter dici poteſt: ego puto Valerium debuiſſe reipubl. et Valerio Voluſium; Rufum igitur voluiſſe, vt debitum Valerii ſolueretur a Voluſio, ſiue, vt Voluſio delegaretur pecunia reipublicae ſoluenda. Etſi igitur potiſ-

C 2 ſimum

f) v. CIC. p. *Quint.* 20. *g*) LIV. *V*, 32. *h*) *Ecl. l. XXXVI. p. 536, ed. Weſſeling.*
i) *pro Flacco c. 18.* *k*) *ad Diu. V. 20.*

fimum praediis populo cauebatur ab iis, qui mutuam accipiebant pecuniam, tamen vno in loco LIVII *l*) *praedibus praediisque* caueri iubentur mutuantes. Nam cum de redimendis captiuis ab Hannibale ageretur, memorat, fuiffe, qui *fi quibus argentum in praefentia deeffet, dandam ex aerario pecuniam mutuam, praedibusque ac praediis cauendum populo, cenferent.* Vtebatur vero aerarium in eo boni patrisfamilias more et confuetudine, vt, fi opibus et pecunia afflueret, eam non flagellaret, et ὑπὸ μοχλοῖς καὶ κλεισὶ καὶ σημείων ἐπιβολαῖς κατακεκλεισμένην, vt LVCIANI Plutus queritur, teneret: fed eam occuparet, ciuibusque crederet: vt horum commodis feruiendo ipfum fuam rem augeret. Numerabat enim fub foenere, vt colligo ex TACITI loco *m*), vbi in liberalitatis laude quae Tiberio impertitur, et hoc ponitur, eum ex aerario mutuum dediffe fine foenore. Eorum vero haud dubie poteftatis fuit, pecuniam ex aerario credere, qui ei praeeffent, Quaeftorum, Praefectorum etc. de quibus infra dicendi locus erit. In loco TACITI modo laudato principis arbitrio id factum. Sed et aerarium interdum vniuerfi populi calamitatem leuaffe et egeftati publicae fubueniffe reperimus. P. Valerio C. Marcio Coff. Quinque Viri menfarii creati ad folutionem aeris alieni, quo plebs fere vniuerfa impedita erat, *eam rationem ingreffi funt, vt tarda nomina aerarium menfis cum aere in foro pofitis diffolueret, vt populo prius caueretur n*). Quomodo cautum fit in fimili caufa, exponit TACITVS *o*), ab Tiberio *difpofito per menfes milies feftertio, factaque mutuandi copia fine vfuris per triennium, fi debitor populo in duplum praediis caviffet.* In quo *populo cautum* dicitur, propterea, quod Caefar ex aerario eam pecuniam fumferat: dixerat enim antea, *argentum fignatum aerario vel fifco attentum fuiffe.* In duplum vero cauebatur tum maioris fecuritatis reipubl. caufa, tum vtilitatis agrorum. Idem ius etiam in prouinciis receptum fuiffe, docet locus CICERONIS *p*): *cuius,* (de homine Temnita loquitur) *fratris bona, quod is populo non foluebat, Praetore Flacco publice venierunt.*

l) XXII, 60. *m*) An. VI, 17. *n*) LIVIVS VII, 21. *o*) Annal. VI, 17. *p*) pro Flacco c. 18.

nierunt. Sed ſatis de his praedibus, qui ob pecuniam ex aerario mutuatam accepti ſunt. Reſtat, vt moneamus praedes etiam datos fuiſſe, vt, in pecunia publica ex prouincia Romam deferenda, populo caueretur ſine vecturae periculo. Indicat CICERO q) *Laodiceae,* inquit, *arbitror me praedes accepturum omnis pecuniae publicae, vt et mihi et populo cautum ſit ſine vecturae periculo.*

§. IX.

Praedes praediaque obligata, conductis vectigalibus.

Iam venimus ad id genus, in quo praedibus praediisque ſimul caueretur, potiſſimum illud et frequentiſſimum, et ex quo Ius Praediatorium maxime ortum eſſe videtur; ad Redemtionem, inquam, ſiue vectigalium ſiue operum publicorum. Et in his quidem, ſi opus aliquod publicum aut ſarta tecta a Cenſore, vel ſi is non eſſet ab alio magiſtratu v. c. Cos. Praetore r), cui ea prouincia extra ordinem dabatur, uti Verri, locaretur, is, qui ſuſcipiebat, ſtatim ex aerario eam pecuniam accipiebat, qua id opus facere pactus erat. Itaque tempore belli Punici II. tanquam ſingulare beneficium Mancipum in rempubl. memoratur, quod cum respubl. inops eſſet, exercitui Hiſpanienſi praebenda conducerent, ſuaque pecunia ea pararent. s) Sed cum periculum eſſet, ne pecuniam eam alio verteret redemtor, aut opus minori impenſa faceret, praediis ſuis cavebat, atque etiam praedes dabat, ſe ex fide aedificaturum. In INSCRIPT. tamen NEAPOLITANA t) videntur Puteolani maiori adhuc cautione agere voluiſſe; nam ſcribitur: PRIMVM PARS DIMIDIATA DABITVR, VBI PRAEDIA SATIS SVBSIGNATA ERVNT; ALTERA PARS DIMIDIA SOLVETVR OPERE PERFECTO PROBATOQVE. CICERO u) in ſimili cauſa: *praedibus et praediis populo cautum eſt.* Formula vero aliqua *a Cenſore* proponebatur aut ab alio quouis magiſtratu, Lex

C 3 Cen-

q) *ad Diu. II, 17.* r) *v. Verr. I, 50.* s) LIV. *XXIII, 48.* t) *apud* GRVTERVM *p. CCVII.* u) *Verr. I, 54.*

Cenſoria ea dicitur qua omnis ratio faciendi aedificii, tota conditio eius et partes, dies etiam ei perficiendo definita eſſet, qualis *Lex opere faciundo apud* CICERONEM *x*), *Lex parieti faciundo* in Marmore Neapolitano *y*) legitur. Ad hanc opus perfectum Cenſor, aut qui alius locaſſet, exigebat. Dicas, at quid illi in eo viderunt, homines artis aedificandi imperiti? Vtebantur ſane opera idonei architecti aut fabri, qui ſingula exquireret, an ex lege et diligenter ſtructa eſſent. Eiusmodi hominem fuiſſe credo illum L. Rabonium *a*): ei enim *aedem Caſtoris tradi oportebat b*) *et cum Verres ad perpendiculum exigere vellet columnas negat id ſibi deberi, negat oportere exigi. c*) iterum alio loco: *d*) *Satisdet ei, qui a vetere Redemtore acceperit.* Quae verba, ſi, ut vulgo exiſtimant Interpretes, Manceps ipſe fuit, quo pertineant, non habeo dicere. Si Cenſor approbaſſet, tum obligata praedia et praedes remitttebantur: ſin minus, tum quidem non ſtatim praedes praediaque vendebantur: erat enim incerta omnis ratio, cum nec quantum damni illatum, non ex fide abſoluto opere, conſtaret, nec propter non magnam pecuniam ampla ſaepe praedia facile vendi poſſent. Sed ea ratio inita: id quod male aedificatum erat ex lege, denuo locabatur reficiendum. Sed periculo prioris redemtoris, h. ut quanta pecunia redimeretur opus, ea ipſi ſoluenda eſſet. In quo tamen ille prior iure et loco erat aliis. Vnde inter inſignia Verris flagitia CICERO *e*) et illud refert, quod pupillum redemtoris plane ab eiusmodi locatione prohibere voluit. Male eum locum accepere ASCONIVS *f*) et HOTOMANNVS, quos MANVTIVS et GRAEVIVS in viam reduxere. Huc etiam facit locus TACITI: *g*) *Idem Corbulo, plurima per Italiam itinera fraude mancipum et incuria magiſtratuum interrupta et imperuia clamitando, executionem huius negotii lubens ſuſcepit: quod haud perinde publico uſui habitum quam exitioſum multis, quorum in pecuniam et famam damnationibus et haſta ſaeuiebatur.* Magiſtratus recte LIPSIVS intel-

x) *Verr. I, 55.* *y*) *ap.* GRVTER. *p. CCVII.* *a*) *in Verr. I.* *b*) *c. 50. et ib. plura.* *c*) *c 51.* *d*) *c. 56.* *e*) *Verr. I, 54.* *f*) *niſi hic potius corruptus eſt: nam p. 546. ita ſentit, vt debet.* *g*) *Hiſtor. III, 31.*

intelligit *h) Curatores viarum.* DIO enim expresse: τοῖς ἐπιμεληταῖς τῶν ὁδῶν. Sed idem ultima nescio an vere: *Quorum in pecuniam in possessorum videlicet, qui agros haberent viae vicinos. Quasdam enim vias collatitia pecunia tueri finitimi debebant, ut vulgo hodie.* Sed ii suntne Mancipes? et quo modo in eorum famam saeuitum? et an ii hastae subiecti? Intelligendus locus de curatoribus viarum, qui pecunia ex aerario sumta, locarant vias muniendas, et de mancipibus, qui redemerant. Vtrique mala fide in ea re versati ferebantur: illi quidem cum aut non locassent, aut non exegissent: hi, cum vias non muniissent, aut certe parum diligenter; pecunia itaque inde accepta vias interruptas et imperuias reliquisse. Corbulo, accepta eius rei cognitione, opera exegit, et tum Curatores, qui pecuniam ex aerario acceptam in ea non impendissent, tum eos, qui non, uti debuerant ex lege, muniissent, damnauit. Haud dubie illis multam dixit, horum praedia, quae obligata fuerant, et praedes vendidit, ex eaque pecunia vias refici curauit. Quae res ut publice utilis fuit, ita damnosa multis, qui et bonis et fama sua excussi sunt: et fama quidem, quia pecuniam publicam interverterant: cf. DIO. *i)* In vectigalibus conducendis non minus reipubl. caueri debebat a publicanis. Cum vero, plerumque vectigalia ampliora, quam pro vnius hominis licet valde locupletis facultatibus, essent, in societatem aliquot coibant: ut infinitis Auctorum locis constat. *k)* Ceterum omnem vectigalium rationem ita inter se dispertiebantur, ut alii redimerent, qui *Mancipes*, alii partes haberent: (vnde CICERO: *l) magnas partes habuit publicorum)* alii socii essent, (diversum enim hoc ab isto. CICERO *m) eum socium ne admittito, neue ei partem dato)* alii tabulas societatis haberent et rationes conficerent, qui *Magistri* dicti: alii denique cauerent. POLYBIVS *n)* οἱ μὲν γὰρ ἀγοράζουσι (*Mancipes*) παρὰ τῶν τιμητῶν αὐτοὶ τὰς ἐκδόσεις, οἱ δὲ κοινωνοῦσι τούτοις (partes habent) οἱ δὲ ἐγγυῶνται τοὺς ἠγορακότας, οἱ δὲ τὰς οὐσίας διδόασιν περὶ τούτων εἰς τὸ δημόσιον.

h) in Excursu ad h. l. i) Lib. LIX. p. 747. k) cf. BVRM *de Vectig. c. 9. l) pro Rabir. Posth. c. 2. m) Verr. I, 55. n) VI, 15.*

μόσιον. Quid vero οἱ ἐγγυῶντες τὰς ἠγορακότας ab illis differunt, οἱ τὰς ἀσίας διδόασιν περὶ τάτων εἰς τὸ δημόσιον? scilicet alii tantum fidem suam, alii praedia certa reipubl. obligabant. Praedes certe hic inter ipsos socios erant, ipsi lucrum ex redemtione quaerebant, cum, qui in aliis negotiis cauerent, eorum nulla utilitas aut commodum versaretur. Dabantur vero, quia merces vectigalium, quae fere in quinquennium locabantur *o*), non, nisi eo elapso, aerario soluebatur, et quidem ea summa, qua in locatione addicta erant: adeoque reipublicae per hoc tempus securitati prospectum esse oportebat. Praedum nomina haud dubie, ut omnis locationis ratio, referebantur in tabulas locationum: quae temporibus insequentibus *hastarii* nomine appellatae videntur esse. Ita certe accipiunt interpretes illam vocem in loco TERTVLLIANI: *p*) *Publicos Deos in hastario vectigales habetis - sub eadem hasta, sub eadem annotatione Quaestoris diuinitus addicta videtur.* Haec vero praedes exigendi consuetudo in vectigalibus locandis non fuit solis Romanis propria. Apud IOSEPHVM *q*) Ptolemaeus Evergetes, qui quotannis vectigalia Coelesyriae, Samariae, Iudaeae, et Phoenices locare (πιπράσκεσθαι) solebat Viris in quaque ciuitate principibus, die praestituta (προθεσμίᾳ), qua soluere ea oporteret, cum Iosephus, Oniae, Pontificis M. ex sorore nepos vectigalia Syriae redimeret (ἰωσ. ὠνεῖτο: ita Latinis *vendere* et *emere* pro conducere et locare *r*) poscebat eum τὰς ἐγγυησομένας αὐτόν. Ad quod ille lepide et festiue; δώσω ἀνθρώπας ἀγαθάστε καὶ καλὰς, οἷς ἐκ ἀπιστήσετε, rogatusque, qui sint, αὐτὸν, inquit, ὦ βασιλεῦ, σέτε καὶ τὴν γυναῖκα τὴν σὴν ὑπὲρ ἑκατέρα μέρας (quod voc. recte ab vno Cod. abest) ἐγγυησομένας δίδωμι σοι. Tum rex ridens συνεχώρησεν αὐτῷ δίχα τῶν ὁμολογέντων ἔχειν τὰ τέλη.

§. X.

Praedia obligata vendebantur.

Praedes etiam dati ab iis qui in auctionibus publicis, cum bona

o) v. BVRM *de Vectig. p.* 105. *p*) *Apol. c.* 10. *q*) *Ant. XII,* 4. §. 4. *r*) v. GRONOV. *de Pec. Vet. p.* 294. *ad Liu. II,* 9. BVRM. *de Vectig. p.* 103.

bona damnatorum proscriptorumque venderentur, aliquid emerent. De eiusmodi caussa intelligendus locus CICERONIS *s*) *Praes aliquando factus esses, et in his quidem tabulis*, vbi V. BOSIVS. Erant et multae aliae caussae, in quibus praedum auctoritas intercedebat. Ita ap. LIV. *t*) ad aedificandam vrbem saxi materiaeque caedendae, vnde quisque vellet, ius factum, praedibus acceptis, eo anno aedificia perfecturos. In quibus vero, praediis et bonis, cauerent, vt multa in vita humana negotia incidunt, causae infinitae. Sed harum et putida et inutilis enarratio esset: inprimis cum iam commemorandum sit, quid his reipubl. obligatis praedibus praediisque factum, vbi solutum reipubl. non esset. Hos igitur, qui reipubl. obligati, et quidem praediis, dictos esse *praediatos*, Glossae PHILOXENI docent: quamquam apud scriptores veteres ista vox ea notione nusquam occurrit. Sed videtur ita accepta esse posterioribus seculis: Glossarum certe non inanis auctoritas, quippe Iustiniano antiquiorum, quo nomine valde a SALMASIO laudantur *u*). Verba vero Glossae haec sunt: *Praediatus* ὑπὲρ φόρȣ δήμῳ ἐνδεδεμένος (alias dicitur ὑποδεδεμένος, ὑποδέσμιος, HESYCHIVS ὑποδέσμιος ἢ ὑποδήμιος, ὁ ὑποτεθεὶς) ita SALMAS. restituit, cum legeretur δήμȣ, vti citat etiam TVRNEBVS *x*); ὑπὲρ φόρȣ vero dicit, quia id genus frequentissimum: nam et ii, qui, quod pecuniam ex aerario mutuam sumsissent, *praedia obligata haberent*; eodem iure *praediati* dici possunt. Praedia igitur obligata vendebantur, si fidem reipubl. soluere non possent praediati aut praedes. *Praedia*, inquit Asconius *y*), *domus, agri, haec omnia venduntur, si rationi publicae conductor*, (*sic lego pro locator*), *non responderit*. Quid vero memorem notissimum Suetonii locum in *Claudio* *z*) qui *venalis pependisse* dicitur, cum pecunia ex aerario mutua sumta, fidem non liberauisset, ad quem locum nihil refert repetere, quae a doctiss. Interpretibus notata sunt. *Venalis pependit* esse de bonis intelligendum, tum eius loci interpretes, tum alii docti viri obseruant, etiam IO. TAYLOR *a*) qui in eundem modum recte explicat illa in XII. tabulis

s) *ad Attic. XIII. 3.* *t*) *V. extr.* *u*) *de M. V. p. 594. p. 703. p. 715.* cf. LABBEVS *in Praef. ad Glossarium.* *x*) *Adu. XX, 30.* *y*) *ad Cic. Verr. I, 54.* *z*) *c. 9.* *a*) *in Diss. ad Legem Decemuiralem de Debitore in partes secando.*

bulis: *in partes ſecanto*, et dixit in eandem ſententiam Aſconius: *ex b) proſcripti bonis.* Multi de eadem re acceperunt locum Suetonii: *c) Reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiſſent, vniuerſos diſcrimine liberauit: nec repeti, niſi intra annum, eaque conditione permiſit, vt accuſatori, qui cauſſam non teneret, exilium poena eſſet:* Sed id minus recte factum docuere Clar. Interpp. ad e.l. *apud aerarium pendere eſt,* quod CICERO *d)* dixit, *in tabulas publicas ad aerarium perſcribi.* Acerba vero res et triſtis, ſi quis ſuas poſſeſſiones diſtrahi videret: In quam illa CICERONIS *e)* dixeris: *De quo homine praeconis vox praedicat, et pretium conficit; huic acerbiſſimum vivo videntique funus indicitur; ſi funus id habendum, quo non amici conueniant ad exequias cohoneſtandas, ſed bonorum emtores, vt carnifices, ad reliquias vitae lacerandas et diſtrahendas.* Neque tamen, quantumuis magna calamitas ea ſit, tantam fuiſſe exiſtimo, vt ſententiam TAYLORI *f)* probem, qui eos, quorum bona publicentur, mortem ciuilem ſubire ait. Nam neque ciuitatem neque libertatem iſti homines amittunt; pecunia eis et fortunae adimuntur, quarum iacturam etſi forte multi libertatis et ciuitatis priuationi aequiparent aut etiam grauiorem iudicent; non tamen in iure eius opinionis ratio habetur. Affert quidem vir doctiſſ. locum CIC. *g)* modo memoratum; ſed in eo facile apparet, iſtam calamitatem oratoria δεινότητι paullo grauius et vehementius eſſe expreſſam, neque omnia ibi nimis ad vnguem reſecari debere. Fragmentum vero VLPIANI *h)*: *Publicatione quoque diſtrahi ſocietatem diximus, quod videtur ſpectare ad vniuerſorum bonorum publicationem, ſi ſocii bona publicentur: nam cum in eius locum alius ſuccedat, pro mortuo habetur:* non de morte ciuili explicari poteſt: Nam ea infertur capitis deminutione maxima et media *i)*; cuius autem bona venduntur, neutram ſubit. Praeterea certiſſimum eſt, ICtum de ea non cogitaſſe. Dicit: *Publicatione quoque ſocietatem diſtrahi diximus.* Vbi vero? nempe *§. fin. L. 63. eod. tit.* et quae ibi? *ſocietas ſoluitur ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideo-*

que

b) ad Verr. I, 20. c) in Domit. c. 9. d) Verr. I, 21. e) p. Quint. c. 15. f) in Diſſ. laud. p. 01. g) p. Quint. c. 40. h) l. 65. §. 12. D. p. Socio. i) l. 209. D. R. I. §. 1. I. qu. mod. Ius p. p. ſolu.

que siue homines, siue res, siue voluntas, siue actio interierit: distrahi videtur societas. Intereunt autem homines quidem maxima aut media capitis deminutione aut morte. Res vero, cum aut nullae relinquantur, aut conditionem mutauerint. Neque enim eius rei, quae iam nulla sit, quisquam socius est: neque eius quae consecrata publicaue (seu forte *publicatave*) *sit.* Vides hic ICtum plane distinguere mortem ciuilem a publicatione, cum alterum esse interitum hominis, alterum rei dicit. Et, quod ait, *pro mortuo habetur*, intelligendum ratione societatis. Fingitur in caussa societatis, quasi ille non amplius in viuis sit, vt et in eius locum alius succedere possit. Sapienter vero a Romanis auctio potius, quam quaevis alia venditio adhibita, quia in ea minus iniuriae, quam alio genere, fieri poterat. Si relicta res fuisset aestimationi hominis vnius, quot fuissent, qui laesos se arbitrarentur, possessione intra pretium suum aestimata? Hac vero probata ratione, etiamsi accideret, vt res minoris veniret, id tamen casui potius quam hominum improbitati tribui poterat. Haud dubie vero id ex priuatis auctionibus in has translatum fuit, vt pecuniae exactae quidquid, reipubl. cum solutum esset, superesset, praediato redderetur. Nam et alia ratione horum hominum miseriam leuatum iuere; tanquam quod in venditione suarum possessionum ius praelationis habebant, et, si quid emere vellent, potiori quam reliqui, iure vtebantur: De quo illustris locus CICER. k) supra commemoratus: *Vbi illa consuetudo in bonis praedibus praediisque vendendis, omnium Coss., Censorum, Praetorum, Quaestorum denique, vt optima conditione sit is, cuia res sit, cuium periculum.* Hoc autem fuisse caput aliquod iuris praediatorii, probabile est, a consuetudine ductum, vt supra notauimus. Hoc antiquum ius in simili caussa migrauerat, qua improbitate erat, Verres. Omnino in istis venditionibus iniquitas magistratuum afflictam miserorum fortunam plane profligare poterat, si vel fraudulenta collusione cum emtoribus vel acerbitate vti vellent. Apud TAC. quidem l), *Heluidius Priscus aduersus Obultronium Sabinum aerarii quaestorem contentiones proprias exercuit, tanquam ius ha-*

k) *Verr.* I, 54. l) *Annal.* XIII, 28.

ſtae aduerſus inopes inclem[illegible]r augeret. Bona vero vendenda proſcribebantur, tabula publice propoſita, qua eorum conditio et dies venditionis definita erat, id quod vel ex SVETONII loco *m*) apparet. Verum etiamnum proſcripta auctione liberari potuiſſe praediatos non dubito, ſi amici accederent, et ſe pro iis ſoluturos profiterentur, cum id in aliis priuatis cauſſis fieri potuerit: SENECA *): *Spondeo pro iudicato, et ſuſpenſum amici bonis libellum deiicio creditoribus eius me obligaturus.* TORRENTIVS, qui ad SVET. hunc locum laudat, hoc dicit eſſe *nomen tabulis eximi;* quod neſcio an recte dictum ſit, cum reorum potius ad liberationem ea formula pertineat: Reliqua vero ibi peſſime.

Non omittenda etiam illa quaeſtio, a quo auctiones iſtae habitae fuerint. Quaeſtoribus quidem ap. LIV. *n*). Praefectis aerarii tribuitur ap. SVET. *o*) Quaeſtoribus aerarii apud TAC. *p*) apud alios aliis. Verum dicendum eſt, vendidiſſe eos, qui aerario quoque tempore praeeſſent, cuius cura, inprimis temporibus Caeſarum, non ſemper eidem hominum generi demandata fuit. Locus claſſicus eſt ap. TAC. *q*) quem, ſi adſcripſero, nihil erit, quod addam. *Varie habita ac ſaepe immutata eius rei forma; nam Auguſtus permiſit ſenatui eligere praefectos: Dein ambitu ſuffragiorum ſuſpecto, ſorte ducebantur ex numero Praetorum, qui praeeſſent. Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quaeſtores rurſus impoſuit, iisque, ne metu offenſionum ſegnius conſulerent, extra ordinem honores permiſit. Sed deerat robur aetatis eum primum magiſtratum gerentibus. Igitur Nero Praetura perfunctos et experientia probatos delegit.* Copioſe hac de re egerunt VERTRANIVS *r*) LIPSIVS *s*) et ex eo OISELIVS *t*) BRISSONIVS *u*) GODOFREDVS *x*) GRONOVIVS *y*) BVRMANNVS *z*). ERNESTI V. C. *a*). Pecunia ex auctione redacta in aerarium inferebatur.

TACI-

m) *in Claudio c. 9.* *) *de Benef. IV, 12. cf. ib.* LIPSIVM. *vid. etiam Or. pro Quintio paſſim.* *n*) *XXXVIII, 60.* *o*) *Claud. 9.* *p*) *XIII, 28.* *q*) *XIII, 29.* *r*) *ad e. l. et ad Hiſt. II, 9.* *s*) *Exc. ad XIII, 29.* *t*) *ad Gell. XIII, 24.* *u*) *Sel. Iur. Ciu. Ant. III, 19.* *x*) *ad l. 42. D. de Jur. fiſc.* *y*) *de pec. vet. p. 275.* *z*) *de Vectig. p. 114. v. 150.* *a*) *ad Suet. Claud. 9.*

TACITVS *b*): *et quia tot damnatis bonisque eorum diuenditis signatum argentum fisco vel aerario attentum.* In vendendis bonis repetundarum damnati hoc singulare erat, quod pecunia ex iis non in aerarium redigebatur, sed sociis, quibus erepta erat, reddebatur. Asconius de eo intelligendus *c*). *Quaestorem eum, ad quem rediguntur pecuniae ex proscripti* (h. cuius bona proscripta) *bonis et a quo sociis annumerantur.* Quaestor autem, quaecunque vendebat, ex auctoritate Praetoris vel cuiuscunque Quaesitoris faciebat. Itaque LIVIVS *d*) ait: *Praetorem in bona L. Scipionis possessum publice Quaestores misisse.* Inde tribuitur interdum ipsa auctio Praetoribus, quia eorum iussu fit. Ita apud CICERONEM *e*) Verres bona Opimii vendidisse dicitur.

§. XI.

Quid praediator?

Age, proscripta est auctio; dies venit, qui iam tibi emtores ad hastam accedent? Accedunt vero homines honestissimi et splendidissimi, Equites Romani qui a praediis emendis *praediatores* dicti sunt. Ita *Glossae* PHILOXENI: *Praediator* ὠνητὴς ὑπαρχόντων, quod illustrat SALMASIVS *f*) ex analogia vocis *praemiator*. I. F. GRONOVIVS autem *g*) comparat cum voce *foeneratoris*. Hi sunt homines locupletes, qui pecuniam suam in foenore collocabant: et ita praediatores, inquit, qui pecuniam suam habebant in praediis. Ceterum Viri docti in hac voce valde laborarunt. ICti *h*) *praediatores*, dicunt, esse eos, quorum praedia aerario teneantur. Facile apparet, eos voluisse explicare *praediatos*; et iam refellit eos SALMASIVS, sed induxit eos, vt videtur, corrupta Glossa a SALMASIO primum restituta. GOESIVS *i*) etiam grauius errat: esse enim eos vult, qui sua praedia aliis iure pignoris vel hypothecae obligauerint. Ii vero ne *praediati* quidem sunt. Male etiam

 acce-

b) *Anal. VI, 17.* *c*) *ad Verr. I, 20.* *d*) *XXXVIII, 80.* *e*) *Verr. I, 80.*
f) *de M. V. p. 738.* *g*) *de Centes. p. 516. loco a Cel.* ERNESTI *iam indicato.*
h) *ad L. 54. D. de Iur. Dot. et ita etiam notasse video Doctiss. Comment.* ad CICERONEM *pro Balb.* c. 20: *Sed festinatione peccatum: Quod nisi condones, habeare insuauis, acerbus.* *i*) *ad* SVETON. *Claud. 9.*

acceperunt Interpretes CICERONIS *k*) vbi Appuleius *Praediator liberalis* vocatur. Totum illud negotium, quod in istis epistolis memoratur, et adeo totus locus, non intellectus est a Viris doct. CORRADVS *l*) existimat esse Appuleium eum, qui quasi primarius procurator res Cornificii absentis curarit. Sed id miror homini eruditissimo excidere potuisse. Verba CICERONIS haec sunt: *neque minus — procuratores Cornificii et Appuleium praediatorem videbis.* Nonne hic a procuratoribus distinguitur? Et quorsum additum foret *praediator?* et quomodo in ista caussa dici posset *m*) *Appuleius praediator liberalis?* belle vero, si procurator liberalis ex alieno corio. Et si id significaretur, debebat dici: *procurator liberalis,* aut simpliciter, *liberalis.* Ego totum negotium tale fuisse existimo. Iunius ille, siue Flauius (alterum enim nomen corruptum videtur) bona publico oppignorata habuerat; quae, cum soluendo non esset, vendita fuerunt. Redemit, vt solebat, Appuleius praediator, qui, cum inquireret in ea, quae in bonis essent, etiam nomina Iunii examinauit. Inter haec erat Cornificius: pro quo cum aliis Cicero fideiusserat. Cornificius quod tum forte abesset domo, *praediator* Atticum, procuratorem Ciceronis, cum reliquis fideiussoribus appellauit. Atticus Ciceroni hoc nuntiat: is rescribit: primum, etiamsi res ita se haberet, tamen non esse, cur magnopere moueatur; Cornificium enim locupletem esse, et posse adeo soluere, sine sponsorum molestia; sed subiicit Cicero: se totam rem ignorare, et rogat Atticum *n*), vt sibi rescribat, quando spoponderit, et pro patre, anne pro filio: vtque eam ob rem procuratores Cornificii et Appuleium praediatorem videat, a quibus omnem rei rationem rescíscere possit. Atticus ex Flauio tum compererat, factum id annos abhinc amplius XXV. Id Ciceroni nondum satis verosimile videbatur. Itaque *o*) etsi reus locuples sit, vt ipse facile soluere possit, et Appuleius praediator liberalis, qui sibi adeo nullam molestiam excitaturus, sed expectaturus sit aduentum Cornificii, tamen Atticum vult ex consponsorum tabulis inuestigare, res an ita se habeat? *Mihi enim,* addit CICERO, *ante*

aedi-

k) *ad Att. XII, 14 et 17.* *l*) *ad ep. 14.* *m*) *ep. 17.* *n*) *ep. 14.* *o*) *ep. 17.*

aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Potest tamen fieri; Sed scire certum velim: et appelles procuratores (nempe Cornificii) *si tibi videtur,* (vt certior reddatur, an fideiusserit) *quamquam quid ad me?* (nempe cum ipse Cornificius locuples sit; nisi amplectaris Manutianam interpretationem, vt dolorem significet amissa filia) *Verumtamen.* Hae Appuleii in hac caussa partes et ita explicandae. Quorsum enim alias *praediator* bis adiiceret? Quamquam et fecisse propterea videtur, quia *p*) alium *Appuleium* memorauerat, eum qui illo tempore in collegium Augurum adoptatus erat; quem omnino diuersum esse ab isto, apparet tum ex totius causae diuersitate, tum ex ep. XVII. pr. et ep. XIV. vbi vtriusque mentio fit, sed ita vt discernantur, et alteri *praediatoris* nomen addatur. Ita si explices, non nouam cum MANVTIO voc. *praediatoris* notationem comminisci necesse est, quae praesertim τῷ *liberalis* plane non conuenit, vt *praediatorem* intelligamus eum, qui praediorum et praedum iura nouit. Haec tamen significatio Viris doctiss. visa est necessario esse adhibenda in loco CICERONIS pro Balbo *q*). *Etenim si Q. Scaeuola ille Augur, quum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium et Cascellium, praediatores reiiciebat.* ABRAMVS ad e. l. *Praediatores videntur dici, qui non omne ius ciuile tractant, sed tantum eam partem, quae agit de iure praediorum: vulgo doctores vnius tituli diceremus.* Sed huius errorem ex parte iam supra refellimus. Reliqui interpretes exponunt *peritos Iuris praediatorii.* Sed SALMAS. *x*) contendit, id naturae vocabuli vehementer repugnare, ipse itaque expungendum censet voc. *praediatores;* maxime, cum VALERIVS MAX. *s*) quem eum locum Ciceronis exscripsisse certum sit, id non habeat. *Q. Scaeuola,* inquit, *legum clarissimus et certissimus vates, quotiescunque de iure praediatorio consulebatur, ad Furium et Cascellium, quia huic scientiae dediti erant, consultores reiiciebat.* Sed nec SALMASIVS, nec alius post eum, vidit hunc locum potius contra ipsum militare; potest enim Valerius videri vocabulum

cum dicat, *quia huic scientiae dediti erant*: quod sane argumentum est non leue pro vulgari interpretatione. Dici praeterea non potest, quomodo ea vox, tam rara, et parum obuia, in omnes libros venerit. Maiori itaque iure diceres, *consultores* esse eius glossema, adeoque expungendum: sed facile apparet, si hoc facias, tum loco aliquid deesse. Ceterum vt existimem eo in loco *praediatorem* dici iuris praediatorum peritum, me potissimum mouet auctoritas Interpretum Ciceronianorum principis, ac Cicerone suo dignissimi ERNESTI, V. C. qui vulgarem significationem voci *praediator* conuenire posse statuit. Eius autem iudicium lubenter sequor. Visum tamen erat, cum eum locum primum legerem, non esse, quod Viros doctiss. moveret, et vulgarem significationem non minus ibi locum habere. CICERO hoc agit, ut ostendat saepe aliquam disciplinam subtilius et accuratius cognosci ab iis, qui usu et experientia eam addidicerint, quam qui institutione et doctrina; et assiduum omnino usum uni rei deditum, et ingenium et artem saepe vincere; idque eo consilio agit, vt euincat, de foederibus et de toto iure pacis et belli omnibus iurisperitissimis meliores interpretes habendos eos, qui iam saepe imperia et bella gesserint. Id confirmat iudicio Q. Scaevolae, qui cum esset iuris ciuilis peritissimus, interdum tamen eos, qui se de re, quae ad ius praediatorium pertineret, consulerent, ad eiusmodi homines remittebat, qui quidem ratione ac disciplina illud ius non addidicissent, longo tamen vsu, et quod in iis negotiis, in quibus locum habet, diu ac saepe versati essent, melius nossent, quid moris et consuetudinis esset? Fieri autem hoc poterat, quia, vt supra ostendimus, Ius illud potissimum moribus et institutis continebatur. Non itaque *Furius* et *Cascellius* esse potuerunt ICti, inprimis tam periti iuris quam memorantur fuisse ap. VAL. MAX. *u*) HORATIVM *x*) quomodo enim comparationis ratio constaret? Neque mihi VALERIVM opponas, qui ait: *quia huic scientiae dediti erant*. Ejus enim auctoritas in latinitate tum alioqui non magna est; ut Viri docti osten-

u) *VI*, 2. 12. *x*) *Art*. 37.

ostenderunt: tum vero sibi ipse in isto loco non constat: mox enim subiicit: ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano eius usu callebant. Dico autem *Furium* et *Cascellium* fuisse equites Romanos, qui, ut eius ordinis hominibus mos erat, in venditione praediatorum saepe adessent, exque ea re lucrum facerent, idque tanquam negotiationis genus exercerent; qualis etiam iste *Camillus* cic. *y*) fuisse videtur. Confirmat nostram explicationem etiam alterius exempli ratio: *si nos de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius quam P. Aquilium consulebamus, quod adsiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit:* iterum comparat ICtum celeberrimum cum homine obscuro, qui haud dubie diligenter et diu versatus erat in aquis conducendis, certe usu ius aquaeductuum et rationem vectigalium pro iis soluendorum calleret. Non enim Cicero comparationem ita instituit, ut dicat, in quoque genere eum consulendum qui ei rei vnice se dederit: sed, plus saepe videre eum, qui non disciplina sed usu rem addidicerit. Restat adhuc significatio aliqua vocabuli *praediatoris* a superiori diuersa quidem sed quae tamen sequioribus temporibus obtinuisse videtur. Glossae PHILOXENI alio titulo habent: *praediatores* χωριοκόμοι, et alio loco χωριονόμοι (sed illud rectius existimo) *praediatores.* Videntur igitur hoc nomine appellati esse, quorum curae praedia demandata essent, tanquam procuratores. Et inde explicandum duco iactatum locum BOETHII *a*) *Vindex est, qui alienam caussam suscipit vindicandam, vel, etiam hi quos nunc praediatores vocamus.* Ita CVIAC. *b*) ex veteribus libris, cum in aliis sit *procuratores*, quod illius glossema habendum. Sed hic, vt diximus, significatus longe post

ximus, hos fuiſſe honeſtiſſimos equites, qui, vt varia iis negotiandi genera erant, cum alii publica conducerent, alii decumas, alia paſcua publica redimerent, et ex iis nomen haberent alii *publicanorum*, alii *decumanorum*, *paſcuariorum* alii, et *ſcripturariorum*: ita et erant, qui in auctionibus publicis praedia emerent, et ea haud dubie deinde meliori conditione venderent: ex ea re nomen nacti *praediatorum*. Sed nonne verendum, ne equitum principes *ſectoribus*, hominum generi odioſiſſimo, adaequemus? minime vero. Quod ſi pauca de illis dixerimus, apparebit, quantum inter utrosque interſit. *Sectores* ſiue a *ſecando* ſiue a *ſequendo* dicti, aliis enim notatio placet alia *a*), emebant ex auctione vniuerſitatem bonorum (unde Graecis *βιῶναι* *b*) ASCONIO *redemtores bonorum*) et ſingulas deinde res minutim vendebant. *c*) itaque erat *ſectio* inter ſucceſſiones in vniverſitatem. *d*) Bona vero emebant fere eorum, quos ipſi accuſaſſent, et lite aeſtimata damnaſſent. HOTOMANNVS *e*) non ſatis accurate: *accuſatores iudicia ſequebantur, quoniam damnatorum bona ipſi aeſtimare et certam ſummam promittere ſolebant.* Inductus eſt ASCONII verbis *f*) qui *ſectorem*, dicit, *aeſtimatorem bonorum damnati atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, i. e. ſecutus ſpem aeſtimationis ſuae* (quam etymologiam ridiculam eſſe dicit TAYLOR *g*) *bona omnia auctione vendit et ſemel infert pecuniam ex aerario vel ſociis.* Sed, ſi iſta recte ſe habent, intelligenda eſt ea aeſtimatio, quam ſector apud ſe init, dum exputat, quantum ſibi lucrum venturum ſit, ſi hac vel illa pecuniae ſumma emere poſſit. In iſto loco ASCONII praeterea particula *ex* in alienum locum irrepſit: legendum enim, *bona omnia ex auctione vendit:* Sc. ſigillatim (niſi omnino deleto *ex* légi malis, pro *vendit, emit*) *et ſemel infert pecuniam aerario vel ſociis.* Quomodo ſociis? reſpicit ad iudicium repetundarum, in quo ex bonis venditis

a) v. ERNESTI. *V. C. Clav. Cic Ind. b.* v. TAYLORI *Diſſ. laud. p. 21.* *b*) v. SALMAS. *de M. V. p. 829.* *c*) v. ASCON. *ad* CIC. *Verr. I, 20. et 23.* *d*) v *Inſtit. Iuſt. III, 13.* *e*) *ad* CIC. *Verr. I, 19.* *f*) *ad l. c.* *g*) *Diſſ. l. c.*

ditis exacta pecunia reddebatur ſociis *h*). Iidem igitur redimebant, et deinde vendebant; erantque vtrumque emtores et venditores *i*). Sed an et hi praedes dabant aerario? SALMASIVS *k*) id videtur velle, cum ait, eos praedes dictos eſſe *cognitores*. Sed hoc quidem, ſatis refellit GRONOV *l*). Praedes autem ſane dediſſe videntur. CIC. *m*) cum Antonium pro ſectione debuiſſe Caeſari, dixiſſet, mox deinde *praedum* meminit; niſi inuidioſe id a Cicerone dictum eſſe exiſtimes. Quia vero hi homines emebant fere bona eorum, quos damnaſſent, inter bella ciuilia etiam proſcriptorum, et ſub Impp. quos ipſi detuliſſent, (unde TACITO dicuntur *emere ab haſta, quam ipſi erexerant*) hinc magnus eorum primum contemtus, deinde infamia fuit. Videtur itaque inter *ſectores* et *praediatores* hoc potiſſimum diſcrimen interceſſiſſe, quod iſti, quae ſemel auctionati erant, deinde noua auctione ſingula vendebant; hi autem non niſi praedia et opulentas poſſeſſiones et quidem hominum ſui ordinis aerario obligatorum, non damnatorum, et proſcriptorum, emebant. Quanquam hoc quidem inter bella ciuilia migratum eſſe videtur, cum etiam nobiles et honeſtiſſimi homines ad haſtam proſcriptionis accederent. Apud bonos tamen id ſemper turpe et infame habitum eſt. Vehementer itaque eo nomine P. ille Sulla a CICERONE conciditur *n*); vt contra inter laudes Attici apud Nepotem ponitur hoc: *Eum nullius rei neque praedem neque mancipem factum eſſe:* Quod tantum de bonorum proſcriptorum emtione intelligendum puto. Nam et verum eſt, eum publicanum fuiſſe *o*) et partes habuit publicorum *p*) et quae antecedunt et ſequuntur id exigunt exiſtimare: *Ad haſtam publicam nunquam acceſſit. Nullius* ... *factus eſt: Neminem ſuo nomine, neque ſubſcribendo*

e domo sua subtrahebat, ne in sectorum potestatem venirent, dicit *cum Quaestoribus sectoribusque pugnare.* Cum itaque in praedio, quod permutat dominos et cedit in altera iura, simul ea transferrentur, quae ad illud pertinerent: et propterea acerbe in ea inquireretur, quae in nouum possessorem iure venditionis tralata essent; saepe quaestio exoriebatur, quid ad eam vniuersitatem bonorum, ad eas possessiones et praedia, quae emta essent, pertinere, quid iis comprehensum, quid non esse, videretur; quale denique ius emtori in iis exigendis et conquirendis esset. Nomina quidem, praediati exegisse vidimus praediatorem r). Ita dubitari poterat, si quid oppositum esset, quod ad praedium pertineret, an repeti a creditore posset s): porro, an dos promissa filiae deberetur, et huiusmodi alia. Debuit etiam potestas aliqua eorum esse et vis in exigendis et conquirendis iis, quae ad praedia spectarent; praecipue si essent, qui, paullo pertinaciores bona sua relinquere nollent. Caesar adeo milites ad Antonium et eius praedes misit teste CICERONE t). Quid? quod SALMAS. u) miseris, qui eiici debebant bonis suis, adhuc id solatii adferre videtur, vt contendendi non modo cum duris praediatoribus, ius tribuat, sed vt etiam cognitores aliquos et procuratores iis det, quibus id officii iniungat, vt de istis rebus cum praediatoribus disceptent. Inuenisse eos sibi visus est in loco nobili MANILII x): sed eos inde conserta manu eiecit GRONOVIVS y). Quae hic facere ius erat, ea *iure praediatorio* fieri dicebantur; ita, vt quod principio huius scriptionis diximus, aliquid *iure imperatorio, accusatorio* etc. facere licebat. Repetebatur vero istud a more et consuetudine, vt id liceret, quod semper in republ. a maiorum inde memoria emtoribus in bonis emtis licuisset. Etiam ex iure communi multa fiebant. Et videtur ipse praetor quaedam in edicto suo definiisse; ita colligi potest ex fragmento z) CAII *ad Tit. de praediatoribus. Res,* inquit, *quae ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales videntur a).*

Hic

r) *ap.* CIC. *ad Att. XII, 14.* s) *v.* SALMAS. *de M. V. p. 830.* t) *Phil. II, 29.* u) *de M. V. p. 830.* x) *Astron. V, 318.* y) *de Pec. Vet. p. 272.* *Sed cf.* BENTL. *ad Manilii locum.* z) *l. 54. D. de iur. dot.* a) *Explicat hanc L.* CVIAC. *Obss. V, 29.*

Hic praetor necessario aliquid praeceperat de dote, quid praediatoribus in eam iuris esset: Quamquam illud quid fuerit, ignoramus. Si quae vero lites hinc orirentur, eas apud praetorem actas esse, facile intelligitur.

§. XIV.

An et sub Imperatoribus hoc Ius fuerit?

Et haec quidem mihi ratio iuris praediatorii fuisse videtur. Vna adhuc quaestio superest, de qua aliquid dicendum, cur eius iuris, cum praecipue priuatum fuerit, nulla mentio fiat in nostris iuris ciuilis libris. Quid? quod ne vocabula quidem praedum et praediatorum vllo loco nisi in supra memorata inscriptione CAII, inueniantur. Facile perspicitur, necesse esse, vt totum ius tum exspirarit, cum libri Iuris ciuilis componerentur, vel quod res in qua versaretur, abolita, vel quod immutata esset. Etenim *multa dici* desiit. Neque eiusmodi iudicia publica v. c. repetundarum, residuorum etc. neque eo modo exercita sunt. Illae vero redemtiones vectigalium populi R. partim non amplius factae sunt, partim alia ratione. Decumanorum genus et omnino tota Decumarum ratio statim ab Augusti inde temporibus cessauit, cum non decumae amplius indictae, sed pro modo agrorum definita frumenti mensura prouinciis imperaretur. Quorsum etiam canon aliquis confectus frumentarius, quo, quantum quaeque prouincia quotanuis praestare deberet, descriptum erat. *a*). Pascua vero, quae in prouinciis quondam publica censebantur, ab Imperatoribus occupata et eorum reditus in fiscum redacti *b*). Vectigalium denique cura translata ad quosdam magistratus pro Imperatorum libidine. Et quidem in prouinciis ordinarie pertinebat ad munera procuratorum Caesaris; sed instituti

DIONE *d*): cum post pugnam Pharsalicam in Asiam traiecisset. *τὰς γᾶν τελώνας πικρώτατα σφίσι* (nempe Asiaticis) *χρωμένους ἀπαλλάξας, ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο.* Quin iam Sulla illud fecerat in Asia teste CICERONE in nobilissima epistola *e*): *Nomen publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt quod iis aequaliter Sulla descripserat. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Graecos, quam nostros publicanos, hinc intelligi potest: quod Caunii nuper omnesque ex insulis, quae erant ab Sulla Rhodiis attributae, confugerunt ad senatum, nobis vt potius vectigal, quam Rhodiis penderent.* Quae hic euenisse CICERO testatur, eadem metuebant Romani in constituenda prouincia Macedonia *f*). LIVIVS: *metalli quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tolli placebat: nam neque sine publicano exerceri posse; et vbi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum* (h. imminuntur vectigalia reipublicae) *, *aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas exercere posse, vbi in medio praeda administrantibus esset, ibi nunquam caussas seditionum et certaminis defore.* Neque vero mirum videri debet, istam vectigalia locandi rationem Imperatoribus minus placuisse. Vt enim infamem fuisse publicanorum acerbitatem non memorem *g*), neque etiam conuenit satis regiae potestati, esse, quorum in manu reditus imperii, illi tamquam nerui dignitatis regiae, sunt, quique fructus ex vectigalibus, qui ei competant, apud quem summa rei est, capiat. Contra reipubl. et libertati ea ratio valde accommodata, valdeque vtilis fuit, atque etiam decebat. Quid enim magis pro dignitate reipubl. quam eam ciuibus suis liberaliter de commodis suis quidquam impertire? Quid ei ciuium animos magis conciliare et vehementius deuincire poterat, quam si, tanquam ab alma matre, ab ea peterent, quo dignitatem suam, quo fa-

d) *lib. XLII. p. 212. ed. Steph.* *e*) *ad Q. fr. I, 1, 11.* *f*) *Liv. XLI, 18.*

*) *cf.* CREVIER *ad liv.* *g*) *v. L. 12. D. de public. et Comment. in ead. L. §. 3. Publicani dicuntur, qui vectigalia publica habent coniuncta legendum: Conducta cf. L. 1. §. 1. L. 16. D. de V. S.*

familiam tuerentur? Et praeterea, quod POLYBII sollertia subiicit in nobilissimo loco *b*), nulla ars efficacior erat ad obnoxiam reddendam plebem senatui, cum in huius manu esse vectigalia, in his sibi ab eo multum noceri, multum se iuuari posse videret. *ἔχει δὲ περὶ πάντων τῶν προειρημένων* (dixerat de vectigalibus) *τὴν κυρίαν τὸ συνέδριον, καὶ γὰρ χρόνον δοῦναι καὶ συμπτώματος γενομένου κουφίσαι, καὶ τὸ παράπαν ἀδυνάτου τινὸς συμβάντος, ἀπολῦσαι τῆς ἐργωνίας.* Verum statu reipubl. immutato, aliis consiliis, aliis rationibus, obsequendum erat. Itaque abolita maximam partem vectigalium locatio; quae remansere aut quae in eorum locum inductae *i*) alia ratione administrari consueuerunt. Sed de his diligentius agere, temporis et spatii, quod huic scriptionum generi definitum, angustia impedit. Alius fortasse *σὺν Θεῷ* locus erit de praediatis et praediatoribus sub Impp. tum priorum seculorum, tum extremorum copiosius disputandi, simulque subiiciendi ea, quae in Graecis Oratoribus vel his similia obseruaui, vel quae his aliquam lucem affundere possint:

Quod si interciderit mihi nunc aliquid, repetam mox.

b) *VI*, 15. *i*) v. L. 16. §. 7. D. de Public.



PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DISSERTATIONIS AVCTORI

S. D. P.

PRAESES

Quod ad me potissimum Disputationem Tuam de Iure Praediatorio detulisti, meque in ea publice tuenda TIBI, voluisti, adesse, HEYNI, Vir Doctissime, animoque meo carissime: in eo agnoui, amauique, cognitum mihi quidem et perspectum, sed tamen dulcem et optatum semper amorem Tuum. Neque mihi iucundius quidquam aut suauius contingere poterat, quam esse me debere eum, qui TE in locum amplissimum, et auctoritatis plenissimum, deduceret, vbi Tuarum laudum gloria, me teste, et comite, clarissime esset resonatura: cum inprimis semper e Tua laude maximam voluptatem ceperim. Cum vero ad ipsam Disputationem legendam accessissem, longe maiorem cepi voluptatis laetitiaeque fructum. Nam quamquam antea, et vsu adsiduo, et meis de Iure tam ciuili quam ecclesiastico commentationibus, mirificam in TE ingenii venustatem, doctrinae, in graecis latinisque litteris et iure vniverso, elegantiam, animique ad omne genus laudis praestantiam cognoueram ac perspexeram: tamen hoc insigni Tuo specimine omnes istae virtutes mihi maiores atque splendidiores apparuerunt. Ac primum delegisti e iure antiquo caput eiusmodi, quod cum obscurum esset, ac perdifficile, tum magnam elegantiae litterarum copiam desideraret in eo, qui illud sibi explicandum illustrandumque sumsisset. In eo vero exponendo illustrandoque ita es versatus, vt intelligere quilibet possit, TE, ad discendam parandamque Iuris Ciuilis scientiam, regia via incessisse, instructu omnium litterarum paratum: vtque in eo Tuam elegantiam, et eruditionis varietatem, testatam probatamque omnibus relinquas; ac sic denique spei Venerabilis SEYDELII, nutritoris TVI, ac votis cumulate satisfacias. In quo si, quod facies, perrexeris non dubium est, quin magna aliquando et TIBI, et litteris, et reip. ornamenta sis adlaturus. Cuius spei, cum ipse plurimas alias habeo cautiones, tum res litteraria ac publica habet hanc Disputationem Tuam, qua, tamquam praedio aliquo, ac pignore certo, ita ei de Tua fide cautum esse existimo, vt etiam ipse, hoc nomine, fidem meam, pro sponsore ac praede, obligare non dubitem. Ceterum Mi Carissime HEYNI hoc tam insigne Tuae eruditionis specimen TIBI, Venerabili SEYDELIO autem hunc curae suae, atque in TE beneuolentiae tam dulcem fructum, vehementer, pro meo erga TE amore, gratulor: optoque, vt omnia coepta, inprimis autem hic ex Academia discessus, bene feliciterque TIBI eveniant. Vale, meque amantem Tui, quod facis, ama. Scribebam Lipsiae d. VIII. Apr. cIↄ Iↄcc LII.